

trem remitteret; quod controversiarum adhuc superesset, id præstituto brevi admodum tempore amice dirimeretur: nihil harum neque ab se, neque a Rege, ad quem supplicem filium miserat, obtinere potuisse.

At Mendoza acrius instare, contendere, efflagitare, ut Cardinalis puellam dimitteret; iussa Regis obtendere. Ille contra constanter pernegare, nunquam ab se divelli heroinam passurum; Principes implorare; ad Gallorum opem, ad Reginae auctoritatem confugere. Leonius legatus amplissimis verbis Reginae in nepotem egregiam mentem Senatui testabatur: licet aliqua parte copiarum dimissa, adhuc in Aquitania decem millium peditum copias morari; non Mantuano Regnam, non Gallos defuturos; Hispanorum artes & vim in omnium Principum, nedum Italorum exitium ac perniciem, ni obsistatur, casuram. Hinc vehementius Mantuani causam Regina amplexa, Hispaniarum Regis legatum ad se vocat: de vi Cardinali adhibita conqueritur: Philippo significet, si illum cura publicæ tranquillitatis Italicæque pacis sollicitum habeat, arma amoveri, amice cuncta pertractari jubeat; neve compelli Italum Principem, sibi affinitate junctum, quem nullo modo deferere possit, patiatur. Ea Reginae officia tantum apud Regem potuere, ut statim, Mantuano viduam filiam Sabaudum connubio jungere, ab armis recedere, atque Mendozzam copias dimittere, mox de diffidiis dirimendis pertractari, juberet: quæ res majores turbas tumultusque concivit.

Dum hæc fiunt, diversa ex parte minori periculo mitioribusque flammis incendium alebatur, obortis in Caferianis montibus, inter Mutinenses ac Lucenses, finium controversiis, quibus utraque gens, conscripto milite, coactisque copiis, ad arma devenerat. Initio Lucenses multa detrimenta Mutinensibus intulerant; sed, mutata fortuna, graviora a Mutinensibus Lucenses tulere. Mendoza erumpentes scintillas opprimendas ratus, Scaramucciam Vicecomitem Lucam, Balthasarem Biam Mutinam mittit, qui ejus nomine Reipublicæ ac Duci significant: utrimque armis abstineant; ni id faciant, vim se adhibiturum. Sed adeo incaluerant animi, ut in dies majori conatu viribusque dimicaretur. Nam Aloysius Estensis,

*Gallie Reginae cum Hispanis de Mantuano officia.*

*Controversia inter Mutinenses, & Lucenses.*